

fem alienam, et iuris Romani peritiam sibi arrogaret. Quin explicaret igitur locum aliquem ex *Codice*; et monstrabat simul famosam illam et difficillimam *legem Quinque pedum praescriptione*, quam a nemine eius aetatis Ictorum intellectam, imo depositam esse constabat. Valla contra: Quid improbius, ait, quam velle damnare me, ut nihil iuris intelligentem; quia locum aut nulli, aut vix ulli intellectum non exposuerim? Debuisset illum proponi non ei, qui aliquid iuris se intelligere diceret, sed ei, qui omnia. Interim, utcunque explicata hac lege, ipse iterum, alia e iure quaestione petita, adversarium ad silentium adegit. Nam cum de Iure usucapionum ex *XII. tabb.* nonnihil rogaret, in eas angustias eundem illum suum adversarium adduxit, ut hic in conclave, velut furens se receperit, atque ex eo tempore homo vindictae cupidissimus odio plusquam Vatiniano Vallam fuerit persecutus, vitaeque eius insidiatus.

XXXIIX. Sed revertor ad nimias Ictorum subtilitates, et ex his ortas logomachias; qualis etiam committitur ab antiquariis quibusdam nimis religiosis, qui superstitioso quodam in illas Graecas et Romanas antiquitates amore feruntur. Duplicia sunt potissimum eorum peccata. Vnum, quod plus, quam satis erat, curiosi in res veterum etiam minutissimas inquirent; et, quotquot in illis non pari reverentia versantur, supremae ignorantiae et negligentiae accusent. Alterum, quod omnia veterum, maxime totum iudiciorum et reip. Romanae statum ad hodiernum nostrum accommodare laborent.

XXXIX. Equidem illorum causae non patrocinator, qui nulla plane antiquitatum scientia instructi ad legum interpretationem accedunt. Vidimus iam in §. 36. quam id sit miserum. Foedissimi sunt illorum errores, qui cum *Glossatoribus* suam in rebus veterum inscitiam  
ex-